

CUM DEO!
DISPUTATIO METAPHYSICA
De
CAUSA PER
ACCIDENS,

Quam
SUB PRÆSIDIO
M. CHRISTIANI DONATI,
Witteb.

Publicæ Eruditorum,
disquisitioni
exponit
DAVID SAMUEL VVAGNER,
Rottenburgo - Lusatus.

*Ad D. 10. Martij Anni MDC LXVI.
Horis matut. in Audit. Philos.*

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typ. *a. X. XVII. 13.*
8.

Coll. diss. A
27, 13

30

UNIVERSITÄT
PHYSICA
CAMPAR
ACADEMIA
SACRAE
MAGISTRUS
M. GEBERT
WILHELMUS
PUBLICE
DAVID SAKKE
Rostocko
M. G. 10. 1711
M. G. 10. 1711



§. 1. **Q**uemadmodum haut facile quenquam inventum
iri existimamus, quin vel ipsemet sæpè incertos rerum
experiaturexit, vel ab aliis fortunam laudari quandoq;
imò & argui, animadvertat; ita nec *Causam per Accidens*
temerè negari à quoquam posse, persuasi sumus. Illud enim omne,
quod præter spem atq; opinionem nobis in actionibus nostris usu ve-
nit, per accidens contigisse, judicare solemus. Quo respectu etiã
à Philosophis denominationem *Causæ per accidens* potissimùm ad-
hiberi animadvertimus. Quoniam verò aliàs terminus per accidens
ex usu Philosophico contradistingvi solet *per se*; hinc quoq; & hic
Causam per accidens opponendam esse *Causæ per se*, & in hac oppo-
sitione unicè declarandam, facile intelligimus.

§. 2. Antequam verò specialius hanc in rem inquiramus, in gene-
re observamus illud, quod *Causæ per Accidens* denominatio à non-
nullis etiam extra Efficientem usurpari, & reliquis quoq; Causarum
generibus, *Materiae* scil. *Formæ* atq; *Fini* applicari soleat. Quo pacto
non tantùm vinum temulentia vel homicidii Efficientem per acci-
dens vocant; sed & aurum poculi, lignum mensæ, *Materiam per ac-
cidens*; eruditionem hominis, scamnum ligni, *Formam per accidens*;
corruptionem naturæ *Finem per accidens*, appellant. Quoniam ve-
rò cæteris hisce causis, si non prorsus improprie, ad minimum tamen
secundariò tantùm, *Causa per Accidens* convenit, in tantâ generali-
tate impræsentiarum à nobis non adeò attenditur. Igitur cum illa
primariò, imò magis proprie, magisque usitatè, Efficienti competat,
eandem quoque in respectu ad Efficientem unicè explicabimus.

§. 3. In hoc verò causarum genere adhuc latissimè patet *Causæ*
per accidens. Variant enim admodum inter se Philosophi, tum in de-
scriptione ejus tradendâ, tum quoque in designandis ejusdem modis.
Adeò ut B. Stahlius in Disc. ad Tab. Metaph. XI. rectius fieri putet,
si non detur generalis descriptio Causæ per accidens, sed prius distingvatur:
sum vix possit dari unus conceptus, & per consequens nec definitio, in quâ
complectamur simul Causam per Accidens ex parte subjeçti, & ex parte
effectus. Quâ in re Auctorem hunc sequi decet, non quidem quate-
nus hoc ad falsam suam hypothesin applicat, sed quatenus aliàs *Cau-
sæ per Accidens* varii modi variaque descriptiones tradi solent, quæ
tamen calculum mereri non videntur.

§. 4. Primùm igitur juxta Thomam, Armandam de Bello Visu, Javellum, & alios, Causa per Accidens dicitur id, quod prorsus non est causa, sed tantùm conjungitur causa vel effectui alicui ratione temporis citra omnem ordinem vel connexionem causalem. Ita si Petro domum ingrediente accidat terræ motus, aut si ambulante eodem tonet, vocatur ille Causa per Accidens respectu terræ motus aut tonitru. Quò referri etiam solent omnes ejus modi superstitiôsæ opiniones, quibz non rarò à vulgo causarum ignaro effectus alicui rei attribuitur, quæ tamen nihil quicquam commercii cum eodem habet. At quis non animadvertit, satis abusivè & improprie illud causam vocari, quod tamen nullam cum effectu connexionem involvit? Sola temporis circumstantia si causæ rationem infert, non sanè citra insignem absurditatem quodlibet sæpè cujuslibet causa erit appellanda.

§. 5. Deinde Causam per Accidens vocare solent id, quod removet impediens aut prohibens aliquid, quo facto sequitur effectus vel necessario vel ut plurimum. Quo pacto eum, qui subtrahit columnam onus sustententem, ut totum ædificium corruat, Causam per accidens ruinæ, aut qui dissecat funem, ut lapis eo suspensus descendat, Causam per accidens motus lapidis, esse dicunt. Verùm quamvis certum sit, posse aliquem veram causam esse subtractionis columnæ, aut dissectionis funis, & consequenter remotionis ipsius impedimenti, nihilominus cum remotio impedimenti respectu ejus, quod eandem subsequitur, sit nihil aliud quàm Condicio sine quâ non, hæc verò ipsa quoad effectus purè naturales considerata (quoniam enim in effectibus moralibus vera causa fit, dubium non est,) saltem improprie Causa vocetur; ideò nec ille, qui removet impedimentum, respectu ejus, quod remotionem illam subsequitur, nisi fortè moraliter bonum vel malum fuerit, Causa per accidens appellari potest. Aliàs enim vel Condicio sine quâ non, vel Causa Moralis, quæ & ipsa, si cum intentione conjuncta fuerit, per se talis esse potest, confunderetur cum Causâ per Accidens; quod tamen admittendum non est.

§. 6. Idempropemodùm sentiendum videtur de illâ acceptione, quâ Causa per Accidens dicitur id, ad cujus absentiam sequitur effectus, quomodo v. g. se habet absentia nautæ respectu submersionis navis. Quamvis enim nauta interdum circa submersionem navis ita se gerat, ut eandem præcavere & avertere potuisset ac debuisset, adeoque & hic effectus ipsi tanquam causæ morali atque adeò veræ non im-

meritò

merito imputetur; per solam tamen absentiam in hunc effectum naturalem, prout talis est, nullum conferre potest realem influxum. Atque sic idem non magis quam Sol per absentiam suam respectu tenebrarum, Causa per accidens nominari potest.

§. 7. Quemadmodum igitur in exemplis hactenus adductis (quorum quidem pleraque ex Aristotele sunt desumpta, ipsa vero denominatio & applicatio Causæ per accidens vel ab interpretibus ejusdem, vel ab aliis recentioribus Philosophis, videtur esse facta, uti prolixè demonstrat B. Jac. Martini in Tract. de Causâ peccati Disp. III.) Causæ denominatio saltem ἀνόμως & impropriè adhibetur; ita non pauci inter Philosophos inveniuntur, qui omnem omninò Causam per accidens, quibuscunque etiam attribuatur rebus aliis, æquivocè sic dictam, atque adeò idem ac Non-Causam esse, existimant. Rati tò per Accidens esse determinationem alienantem seu tollentem rationem Causæ, veluti aliàs tò cereum ferræ, vel tò mortuum hominis rationem tollit atque destruit. *Sed mirum sanè istud est, ut verbis B. Scharffii Disp. Apol. I. th. 2. utamur, quòd tò per Accidens in ratione causandi sit non-causare, id quòd præter & contra omnem loquendi usum est. Quis enim fando inaudivit, per Accid. esse idem esse ac non-esse, vel per Accid. fieri, esse non fieri per Accidens occidi aut loqui, esse non occidi, non loqui, per Accidens scribere, bibere, errare, esse non scribere, non bibere, non errare.* Diversissima autem ratio est inter tò mortuum, quod in se naturæ destructivum est, itemque tò cereum, quod cum essentiâ ferræ minimè consistere potest: & inter tò per Accidens, quippe quod rei alicui appositum, uti ex exemplis jam adductis constitit, non destruit eandem prorsus aut evertit, sed solum restringit & modificat. Conf. quæ idem B. Auct. l. c. th. 49. habet. Novisse igitur illi auctores debebant, tò per Accidens unicè opponi tò per se. Unde si additur alicui rei non eandem tollit, sed negat saltem de eâ determinationem & per se. Hinc quemadmodum Ens per Accidens non opponitur Enti vero atque reali, sed saltem Enti per se; ita nec Causa per Accidens opponi potest aut debet causæ veræ, sed solum Causæ per se. Quapropter existimamus, Causam per Accidens propriè acceptam & Efficienti applicatam unâ cum Causâ per se exhibere divisionem aliquam Causæ Efficientis veram ac propriè sic dictam, adeoque & utramque non de nomine saltem, sed & de ipsa ratione Causæ participare; quamvis id fiat modo inæquali, ita ut ratio Cau-

se huic *αεότως*, illi *δευτέρως* competat. Proinde sibi contradistingvuntur non ex parte rei, sed ex parte modi saltem, seu non in ratione causæ veræ, sed in ratione talis vel talis causæ.

§. 8. Quòd si jam in hujus Causæ naturam inqvirendum sit variæ se nobis offerunt descriptiones. Primùm enim Petrus Hurtadus, de Mendoza Disp. Phys. 8. s. 8. §. 116. talē nobis suppeditat: *Causa per Accidens est, quæ ita concurrat ad effectū, ut ad illum non sit necessaria?* Utsi quis sit simul Musicus & Statuarius, tū Musicus dicitur Causa statuæ per accidens, quia ars Musica nihil facit, neq; ad efficientiā statuæ neq; ad existentiam artis statuariæ, potestq; Statuarius æque statuam efficere, sive sit simul Musicus, sive non. Verùm præterquàm quòd hæc explicatio, judice Stahljo in Inst. Met. cap. XII. non conformis sit doctrinæ Aristotelicæ, quippè cum Aristoteles hominem dicat Causam per Accidens statuæ, ille tamen omninò necessarius sit ad existentiam artis statuariæ; aliàs quoque non videtur satis distingvere Causam per Accidens à Causâ per se, cum & hæc non semper necessaria sit ad effectum producendum. Nec magis naturam Causæ per Accidens explicat Soncinas, qui L. 17. Met. qv. 3. illam in eo consistere docet, *quod non producat effectum virtute propriâ.* Quando enim v. g. vel Musicus ædificat, vel fisfor ligni à tergo stantem inscius interficit, neuter eorum effectum producit virtute alienâ. Et certè cum nulla Causa, ne quidem Instrumentali exceptâ, propriâ virtute, per quam ad effectum id, quod debet, conferat, sit destituta; multò minùs Causa per Accidens, quippè quæ sæpissimè Causa principalis est, ex propria virtutis esse poterit. Quamvis igitur difficile admodū sit, ob varietatem, quæ hic occurrit, talem exhibere descriptionem, quæ nobis omni ex parte atque perfectè naturam Causæ per Accidens declararet; aliquali saltem nos contentos esse decet. Videtur itaque Causa per Accidens in genere ita describi posse, quod sit, *à quâ non ut tali procedit effectus.* Veluti cum Musicus ædificat, id facit, non prout talis est, sed prout architectus est; aut si fisfor ligni à tergo stantem vulnerat, id præstat, non ut lignum findit, sed prout citra intentionem hominem percutit.

§. 9. Ut verò hanc ipsam plenius intelligamus, notandum, quod & illa duplicis generis sit: alia quidem *ex parte causæ*, alia verò *ex parte effectus* sic dicta. Quamvis enim (quod iterum B. Jac. Mart. l. 6. prolixè ostendit) tū acceptio Causæ per accidens ex parte effe-

ctus

causa talis ex Aristotele minimè probari, tum quoque denominatio illa per accidens, quippe desumpta ex intentionis absentia, quæ tamen conditio non effectus, sed efficientis est, minùs commodè causa ex parte effectus tribui posse videatur; nihilominus tamen cum causa illa per Accidens ex parte effectus talis nunc quidem apud recentiores Philosophos satis recepta sit, nec adeò parùm ad præsentis negotii explicationem faciat, à nobis prætermitti minimè potest.

§. 10. Causa igitur per Accidens ex parte causæ talis est, quando id, quod accidit causæ per se, dicitur causa effectus, seu quando causæ per se agenti additur aliquod attributum, secundum quod agere dicitur, à quo tamen effectus per se non producitur. Sic Musicus quidem per se canit, & Architectus per se ædificat; quando verò vel Musicus dicitur ædificare, vel Architectus canere, tum uterque horum effectuum est causa per accidens, quoniam forma illa, à quâ quis denominatur Musicus, non sit principium formale ædificandi, nec à quâ quis denominatur Architectus, sit principium formale canendi, sed saltem in eodem subjecto accidentaliter coherant. Atque hunc ipsum agendi modum maximè per accidens iudicat B. Stahlus in Inst. Met. cap. XII. eundemque cum Aristotele *Propinquiore* nominat, quia scilicet forma concomitans alterum illud accidens nihil omninò confert ad effectum. Præterea verò addit alium agendi modum per accidens, qui tamen magis ad causam per se accedat, quem proinde *Remotior* cum Aristotele vocat, eundemque describit, quod sit, quando id, cui per accidens tribuitur effectus, est ipsum subjectum, cuius virtus causandi inest; quomodo Polycletus vel homo dicitur causa per accidens statuæ, quia est subjectum, cui ars statuaria accidentaliter inest, h. e. quia virtus efficiendi statuam ipsi non est essentialis, nec ab eo ut à subjecto naturaliter & necessariò requiritur, sed tantum per accidens illi coniungitur. Quicquid verò sit de posteriori illâ acceptione, sufficit nos primam potissimum attendisse.

§. 11. Quod igitur causam hanc per Accidens ex parte effectus talem concernit, de eâ dubium adeò esse nequit, quin pro verâ ac propriè sic dictâ causâ habenda sit. Quod si enim ad causalitatem causæ ut sic, vel in specie efficientis, attendamus, utramque eidem ultrò accommodari posse, facile intelligemus. Si quidem hæc ipsa causa per accidens tale principium est, quod per veram atque realem actionem in esse sui causati influit. Quis quæso nega-

bis

bit, Polycletum propriè & reverà statuas confecisse? Polycletum
 inquit Fonseca l. 5. Met. c. 2. cum sit subjectum artis statuariae, eam-
 que sustineat, aliquid confert, atque adeò plusquam homo, aut animal,
 aliave superiora genera, quae per Polycletum & alia singularia subjecta
 artis statuariae efficiunt statuam. Jam Polycletus per accidens fuit ar-
 tífex, adeoque per accidens statuæ causa. Nec verò hic quicquam
 valet exceptio: Suppositum quò tale non agere, Musicum quò ta-
 lem non ædificare, nec Polycletum quò talem efficere statuam. Re-
 ctissime enim B. Scharffius l. c. th. 19. ejusmodi consequentias tan-
 quam ineptas prorsus rejicit: *Suppositum quatenus tale non agit. E.
 non agit. Homo quatenus, homo non ædificat. E. homo non ædificat. Aqua
 quò talis non calefacit. E. non calefacit. Cur non ita, pergunt, ineptiunt:
 Homo quatenus, homo non sentit, non audit, non videt. E. homo non sentit,
 non audit, non videt. Homo quatenus, homo non errat, non peccat. E. ho-
 mo non errat, non peccat. Homo quò talis non est mortalis,
 non moritur. E. homo non est mortalis, non moritur. Corpus
 quatenus, tale non vivit. E. non vivit. A negatione Reduplicativarum ad
 negationem absolutarum propositionum non valet consequentia. Con-
 stans & immotum Philosophorum pronunciatum est: Actiones es-
 se Suppositorum. Cum igitur hic semper unum idemque Supposi-
 tum maneat, etiamsi vel maximè variis sit instructum accidentibus, a-
 deò ut modò Architectus, modò Musicus, ædificare dicatur; hinc
 nec diversa principia constitui, sed unam eandemque causam mane-
 re necessum est. Hoc saltem discriminis intercedit, quod ejusmo-
 di Suppositum modo priori simul in se habeat principium actionis
 formale, posteriori verò tantum effectivum, id quod tamen ad veram
 causam sufficit. Cæterum quamvis plura in hujus rei confirmatio-
 nem adduci possent, hic tamen studiosè illa prætermittimus, cum
 paulo post de eodem fermè argumento fusius adhuc nobis agendum
 sit. Imprimis quoniam hic tanta vis veritatis sit, ut & illi, qui ta-
 men aliàs ad destruendam Causam per Accidens omnem movent la-
 pidem, nobiscum hac in parte sentiant. Conf. B. Stahl. in Disc. ad
 Tab. Met. tab. XI.*

§. 21. Jam agendum nobis etiam est de *Causa per Accidens ex
 parte effectus tali*. Ubi initio illud notamus, minus accuratè nonnul-
 los Causam hanc describere per id, cum cuius effectu per se aliquid acci-
 dentaliter conjungitur. Nam quod ejusmodi effectorum conjunctio
 non sufficiat ad rationem Causæ per Accidens, ex eo satis evincitur,
 quia

quia sapientissime cum effectu per se alia quamplurima conjunguntur, quæ tamen nullam connexionem aut respectum ad ejus causam involvunt. Etenim, ut B. Scharffius Disp. II. Apol. th. 6. ait, cum parentum effectu per se, v. g. cum liberis accidentaliter conjunguntur peccata & scelera, quæ a liberis perpetrantur. Ergone illorum scelerum omnium Causa per accidens erunt parentes? Non dixerim sanè. Cum effectu Solis per se, v. g. cum lumine diei conjunguntur accidentaliter omnia opera ea, quæ de die fiunt. Ergone illorum operum omnium Causa per Accidens Sol erit? Non puto. Similiter cum effectu Luna conjunguntur, quæ in Luna lumine fiunt, nec tamen eorum causa est Luna. Sic cum motu avium aer, cum actionibus piscium aqua, conjungitur. Ergone aer & aqua sunt causa eorum per accidens, quæ ab avibus aut piscibus fiunt. Cum tabulâ aut pagyro conjungitur scriptio, quæ fit in tabulâ aut pagyro. Ergone tabula vel pagyrus erunt cause scriptionis? Nequaquam hoc sequitur. Sola igitur conjunctio effectorum non sufficit ad constituendam Causam per Accidens, cum ea varia & multiplex esse possit sine concursu causarum, utpote localis in eodem loco, temporalis in eodem tempore, subjectiva in eodem subjecto, contenti in continente &c. Plura requiruntur ad Causam per Accidens, & primò quidem influxus in effectum accidentalem, qui ubi non est, ibi Causa per Accidens propriè non est, ut ut nonnunquam concomitantia seu conjunctio aliqua effectorum deprehendatur. Hæc cum accuratè satis à B. Auctore dicta sint, maxime que adversam sententiam stringant, hinc repetenda & observanda omninò erant.

§. 13. Nos igitur existimamus, Causam per Accidens ex parte effectus talem omnium rectissime describi posse, quod sit, quæ influit in id, quod non intendit, aut si magis placet, quæ influit in id, ad quod influxus non ordinatur. Hinc intelligimus, Causam hanc per accidens formaliter duo includere, Influxum scilicet & Intentionis absentiam. Ille præstat, ut sit vera causa; hæc verò ut sit talis causa. Quoad illum convenit cum Causâ per se, quoad hanc contradistinguitur Causæ per se. Ubi tamen illud notetur, vocabulum Intentionis, cujus absentiam formaliter dicit Causa per Accidens, hinc non esse strictius accipiendum prout causis voluntariis seu ἐκ προαίρεσιως agentibus tantum competit; sed paulò laxius, prout quamcunque inclinationem ac propensionem naturalem denonat, adeoque etiam a

B

genti.

gentibus naturalibus convenit. Atque sic non tantum homo v. g. qui dum ligna findit, alteri à tergo stanti præter opinionem vulnus infligit, sed etiam tegula è tecto decidens & hominem prætereuntem lædens, rectissime Causæ per Accidens respectu læsionis ejusmodi vocantur. Quamvis enim & homo & lapis verè lædant, neuter tamen id cum intentione facit; sed ille quidem influxum suum ordinat ad findenda ligna, hic verò per naturalem instinctum deorsum ad centrum mundi tendit. Cæterum constare hinc etiam potest, quod etiamsi Causa per Accidens respectu intentionis, cujus absentiam dicit, Causæ per se privativè quodammodo videatur opponi, nondum tamen ob id à ratione causæ veræ deflectat, cum intentionis absentia junctâ influxui reali satis determinatè illam adhuc constituat.

§. 14. His ita constitutis, haut temerè quenquam existimabamus fore, qui Causam hanc per Accidens veram realem ac propriè dictam causam esse, negare ausus fuerit. At verò hinc non pauci nec inferioris subsellii inveniuntur viri, qui hanc nostram sententiam mirum in modum oppugnare solent. Instar omnium nobis erit Philosophus aliàs Clarissimus Stahlius, qui quamvis in Disc. ad Tab. Met. tab. XI. p. 70. Causam per Accidens ex parte causæ talem veram & propriè dictam causam asserat, imò etiam in Inst. Met. cap. XII. p. 119. Causam per Accidens ex parte effectus talem interdum esse causam propriè dictam concedat; hoc tamen posterius in Disc. l. c. revocat, totisque viribus in eo est, ut nullam Causam per Accidens ex parte effectus talem veram & propriè dictam causam esse demonstrat. Ut verò de illius mente & explicatione circa rem præter nobis accuratiùs constare possit, non præter rem facturi videamur, si verba ejus adduxerimus. Ita verò l. c. tradit: *Causa per Accidens ex parte effectus dicitur, cum cujus effectu conjungitur aliquid, in quod vel non influit, vel quod non intendit, aut neutrum facit, sive nec influit nec intendit. Est igitur varia hæc causa: Vel enim dicitur Causa per accid. ex parte effectus ratione Influxus, quæ Causa per accid. physica dicitur; l. ratione Intentionis, quæ Causa per accidens moralis dici potest; vel ratione utriusq. Res exemplis patebit. Ille qui removet orto Sole valvas fenestrarum, est causa per se remotionis valvarum, causa per accidens autem illuminationis, & quidem physica ratione influxus.* Cum remotio-

ne

ne enim valvarum ita coheret illuminatio, ut in illam illuminationem non influat, qui remouet valvas. Igitur *Causa per accidens* est ex parte effectus ratione influxus. Moraliter autem & ratione intentionis est *causa per se*, intendit enim illuminationem, qui valvas remouet, & propter illuminationem remouet eas. Quando autem quis findendis lignis operam dans, stantem à tergo sublatà sese securi vulnerat in sciis, ille est *Causa per Accidens* illius vulneris ex parte effectus, & quidem ratione intentionis, non autem influxus. Nam reverà influit in vulnus, non autem intendit illud vulnus. Iacò *Causa per accidens* est ratione intentionis. Eadem est ratio si quis findendis lignis operam dans, aberrante ictu se ipsum percutit. Aliud exemplum. Mittit pater filium suum Liphiam, eo tempore, quo cuncta viarum existimantur esse tutissima, fit tamen ut filium, quem misit pater, in itinere invadant prædones, & ipsum spolient. Hic pater est *Causa per accidens* ex parte effectus, quia illa spoliatio cum effectu per se, qui est missio filii, coheret, & quidem cum ratione influxus, tum ratione intentionis. Nam non influit pater in directionem, non etiam intendit direptionem, sed prorsus præter ipsius intentionem & cognitionem accidit. Imò dolet, quando ipsi tale quid narratur. Et paulò post addit: Ego ergò hoc volo, quod *Causa per accidens* ex parte effectus non fit vera causa. Sed addo hoc: quia est *causa per accidens*. *Causa enim per accidens* ex parte effectus, in quantum est *causa per accidens* non est vera causa; ut autem est vera causa, eatenus est *causa per se*. Posui suprà exemplum & dixi, quod is, qui stantem à tergo, quem stare ibi nescit, vulnerat, quando reverà vulnerat, hac ratione fit *Causa per se*, & non per accidens, ratione n. influxus. Interim ratione intentionis nemo non videt, quod sit *causa per accidens*. Ita quondam Vir Doctissimus rem satis expeditam dedisse sibi videbatur. Hunc etiam sequuntur alii quamplurimi, qui eandem sententiam magno conatu etiamnum defendere satagunt

§. 15. Verùm illa hætenus ita exposita tanti momenti non videntur esse, ut animi ejusquam à præconceptis opinionibus liberi assensum facile mereri possint. Primùm enim hæc sententia lubrico admodum fundamento superstructa est, quasi *τὸ per Accidens Causæ* additum terminus alienans sit: cum

eamen nec aliàs si rebus adjungatur aliis, eas prorsus destruat, uti supra ex §. 7. abundè constitit; neque si vel maximè ipsi causæ addatur, ejus rationem prorsus tollere possit, uti ex Causâ per Accid. ex parte causæ tali, quippè quæ etiam ab ipsismet adversariis pro verâ causâ habetur, manifestum est. Hinc nulla videtur esse ratio, quamobrem nec hîc eandem suam naturam retinere possit aut debeat. Deinde & illud hîc falsissimè supponitur, quòd Causa in cõmuni sit describenda per principium per se influens esse in aliu; quâ descriptionem Stahl. in Inst. Met. cap. X. explicat atque approbat, Quamvis enim aliàs & nos eandem recipiamus, referendam tamen illam esse asserimus non ad Causam in genere, sed ad potius ejus analogatum; veluti in tradendis definitionibus apud Philosophos fieri hæcenus consuevit. Non igitur negamus, definitionem Causæ primario convenire Causæ per se, secundariò saltem Causæ per accidens; Causam tamen in cõmuni consideratam illam determinationem *Per se* involvere, nequaquam admittimus. Cum enim causalitas Causæ ut sic, consentientibus omnibus ferè Philosophis, etiam iis, contra quos impræsentiarum disputamus, sit Influxus in effectum, quippè quo causa in actu secundo constituitur; quid quæso repugnat, quo minùs omne illud, quod quacunqve ratione, sive per se sive per accidens, modò verà, in effectum influat eundem producendo, vera causa sit denominanda? Et mirum sanè est, quod Stahlus illam Swarezii descriptionem ita approbet, & per additam restrictionem *Per se* à causâ in cõmuni excludat Causam per Accidens, paulò verò post in subsequ. Cap. expressè asserat Causam per Accidens (ex parte effectus talem) interdum esse causam propriè dictam, imò etiam in Disc. ad Tab. Met. l. c. omnem Causam per accidens ex parte causæ dictam veram causam esse, asserat. Hinc quando loco adducto Causam per accidens ex parte effectus & quidem ratione influxus talem constituit respectu ejus, in quod non influat, præter rem & usum loqvendi omninè fecisse, intelligimus. Quoniam enim *per se* per Accidens neque aliis rebus extra rationem causæ, neque ipsimet causæ additum, ut jam potuit, destruendi prorsus, sed saltem determinandi officium sustinet; nulla dari potest ratio, quare hîc loci influxum non detet-

detet-

determinet, sed prorsus destruat. Porro sola intentio, ejus respectu etiam peculiarem Causam per Accidens constituit, nihil quicquam ad rationem Causæ ut sic facit, nisi simul adsit influxus. Non enim intentionis, sed influxus præsentia vel absentia causam veram ponit vel tollit. Igitur in dijudicandâ Causâ per accidens influxus & intentio non disjungenda sed conjungenda, non opponenda sed subordinanda sunt. Hinc multò minus Causa per Accidens vocari illud poterit, cum cujus effectu saltem conjungitur aliquid, in quod tñ. nec influit, nec intendit. Sola enim effectorû conjunctio extra realè dependentiam ad Causam per Accidens constituendam nihil omninò conferre potest. Hinc merum abusum termini Causæ per Accidens opinionem hanc inferre, colligimus. Nec verò eandem quicquam juvare possunt illa exempla explicationis ergò adducta. Ille qui removet valvas fenestrarum, Causa per Accidens respectu illuminationis dici nequit. Non enim hic influit in illuminationem, sed præstat saltem conditionem illam, sine quâ effectus hic non poterat produci. Porro falsum omninò est illum, qui removet valvas, esse Causam per se illuminationis ratione intentionis. Nam etiamsi homo agendo aliquid summo studio intendat producere canem, equum, Solem aut Angelum &c; nec tamen ideo canis, equi, Solis, aut Angeli Causa per Accidens dici poterit. Proinde ita inferimus: Quicquid non reverà influit in effectum, illud nec vera ejusdem causa est. At qui removet valvas, non reverà influit in illuminationem. E. non est vera illuminationis causa. Major uti verissima in se aliàs est, ita etiam in ipsomet Stahlio habetur. Ille enim in Inst. cap. XI. p. 107. & 108. causalitatem in suâ latitudine, h. e. rationem formalem causæ, seu id per quod causa est formaliter causa, dicit esse influxum, quo aliquid influit in aliud esse. Et cap. XII. p. 119. ait. Ut aliquid propriè sit causa, requiritur ut influat esse in effectum. Item: Quæcunque non influit, est impropiè causa. Denique: De essentiâ causæ est influere. Minor in verbis adductis expressè habetur. Jam si ille, qui removet valvas, non est vera causa illuminationis, non poterit dici, quod sit Causa per se. Hæc enim vel juxta nos continetur sub verâ causâ tanquam potius analogatum, vel juxta

adversarios est formaliter ipsa & sola vera causa. Idem quoque, si assumamus descriptionem Causæ per se in Disc. l. c. traditam, evinci hoc pacto poterit: Causa per se ex parte effectus est quæ unum eundemque effectum per se habet. Qui removet valvas non habet unum eundemque per se effectum. E. ille non est causa per se ex parte effectus. Major ibi expressè habetur. Minor certa est, quia qui removet valvas ratione illuminationis, cuius Causa per se dicitur, nullum prorsus habet effectum. Excipi equidem hic solet, concedi posse, illum qui removet valvas, illuminationis Causam per se non esse, scil. ratione influxus, adhuc tamen esse Causam per se ratione intentionis, quia revera intendit illuminationem. Sed vanum hoc refugium est. Non enim intentio, sed influxus constituit causam, ut læpius patuit. Solus, inquam, influxus est id, quo aliquid actu & formaliter causa est. Quomodo igitur Causa per se illud esse potest, cui deest influxus? Idem fermè sentiendum est de altero illo exemplo, quando fisor ligni, qui inscius à tergo stantem lædit, in respectu ad læsionem dicitur Causa per Accidens ratione intentionis, Causa a. per se ratione influxus. Hic enim vicissim separantur & disjunguntur ea, quæ tñ. conjungi debebant. Et quanam quæso ratione poterit is Causa per se vocari respectu ejusmodi effectus, qui tñ. fortuito præter omnem intentionem evenit? Certè hoc pacto fisor ligni non magis Causa per se erit, quando ligna findit, quam quando præter spem vel alium vel semetipsū sæcuri lædit. Quod ipsum utrum satis philosophicè dicatur, cui-libet judicandum reliquo. Hactenùs enim ex usu Philosophico illud vocatur Causa per se respectu effectus, quem cū intentione produxit, Causa a. per Accidens, quem citra intentionem produxit, non verò contrà; uti vel ex ipsa Fortunâ & Casu satis liquet. Quod ultimum exemplum concernit de patre mittente filium Lipsiam, de eo quilibet ex hactenùs dictis facilè judicare poterit, quòd, cum pater nullo pacto in direptionem filii influat, adeoq; nec ullâ ratione Causa per accid. ejus respectu sit vocandus. Quod enim qualiscunq; effectorum cohæsiō ad rationem Causæ constituendam non sufficiat, §. 12. patuit.

§. 16. Nos igitur omninò existimamus, Causam per accid. ex parte effectus talem veram & propriè dictam Causam esse.
 Quod

Quod ut declaremus fufius non adeò videtur opus esse, cum illud ex hactenus disputatis haut dubiè relinqvatur. Ita enim omnium firmissimè concludimus. Cuicunq; competit causalitas tum Causæ in communi, tum Efficientis in specie, illud est vera & propriè dicta Causa. Atqvi Causæ per Accid. ex parte effecti tali competit causalitas &c. E. est vera & propriè dicta Causa. De Majori dubium esse neqvit, cum Causalitas causæ illud vocari soleat, per quod causa formaliter & in actu secundo constituitur. Ad Minoris declarationem illud facit, quod inter Philosophos constet, & ipsimet adversarii quoq; doceant, Causalitatem causæ in communi esse Influxum, Efficientis verò Actionē. Jam verò nec dubium esse potest, quin v.g. fissor ligni, qui respectu læsionis, homini à tergo stanti præter intentionem factæ, Causa per accidens nuncupatur, reverà in læsionem illam influat, & agendo eam producat. Porrò & hoc certum est quod omnis effectus verò præsupponat causam veram, cum ille dicat dependentiam ab hac ipsâ. Effectus verò per accidens omninò verus effectus est, quod vel ex læsione seu percussione à ligni fissore præter intentionem factâ, manifestum est. E. effectus per accidens præsupponat veram causam, necesse est. Jam cum effectus per accidens unicè respiciat Causam per accidens, quippè quæ ab illo hinc ita denominatur; hinc non poterit non Causa per Accidens vera causa esse. Cæterum si omninò Causa hæc per accidens saltem de nomine & appellatione Causæ participaret, in se a. Causa vera non esset, tum certè illam destruētem significationem haberet vel è termino Causæ, vel è termino per accidens, vel ratione utriusq; connexionis. At verò illud per terminum causæ fieri neqvit, cum ille semper denotat influxum ad esse causæ realem, & indifferentem ad omnia causarum genera. Nec terminus per Accidens illud præstat, cum hic nihil tollat, nisi solū se per se, simul verò illud, cui additur, modificet atq; determinet. Neq; idē contingere potest ratione connexionis utriusq; tum quia illi termini sibi non contradicunt aut opponuntur, sed potius subordinantur; tum quia aliàs conjunctim sumpti, etiam fatentib; adversariis, adhuc veram ac propriè dictam causam constituunt, uti ex Causâ per Accidens ex parte causæ palàm est. Plura in rem præsentem adducere, cum ob suam evidentiam haut videatur opus esse, superfedemus.

§. 17. His ita constitutis, intelligimus rectissime vulgò ad Causam per Accid. ex parte effectûs potissimum requiri: (1) Ut influat ad aliquid producendum. (2) Ut illi causanti aliquid accidentaliter attribuat, quod per se & per propriam vim non intendebat facere. (3) Ut aliquid rarum adsit. (4) Ut effectus fiat ob accidentaliter interveniens. (5) Ut non directè pendeat ab eo, quod dicitur Causa per Accidens, sed sit vel præter naturalem vim vel ad minimum præter intentionem.

§. 18. Ex his omnibus, quæ hætenus disputata à nobis sunt, haut obscure colligi potest, quid de illorum opinione sentiendum sit, qui Deum, Summum illud Bonum & Numen Sanctissimum, peccati Causam per Accidens facere non verentur. Quamvis enim illi ipsi Auctores Causam per accidens æquivoce sic dictam esse contendant, adeoque, phrasi illâ se Deum minime peccati causam constituere, prætendant; quam frustra tamen id asserant, & quam miserè isthac persuasione fallantur, ex dictis minime obscurum esse potest. Quod si enim Causam per Accidens in propriâ significatione intelligant, certè à blasphemiâ illorum assertio liberari nequit; Si verò terminum Causæ per Accidens improprie accipiant, quid quæso aliud, quàm se in re gravissimâ terminis philosophicis præter rem & turpissimè quidem abuti, innuunt? Sed pluribus hanc rem persequi, nostri instituti non est. Prolixius hanc controversiam præ reliquis exposuerunt B. Jac. Martini l. c. & Magnif. Dn. D. Calovius in pecul. Tract. de Causâ per Accid. qui cum solidam hujus rei decisionem tam ex Philosophicis quàm Theologicis fundamentis depromptam nobis suppeditent, circa præsens negotium omninò conferendi sunt.

Deo sit laus & gratiarum actio!



Coll. diss. A. 27, misc. B